

SECULUM
X.
a

ctam a monasterio S. Blasii, quod iuxta anonymum nostrum seculo demum X. proprium accepit abbatem. *Cogitare igitur cœperunt*, inquit anonymus, *de stabilitate ordinis & cœnobii, intelligentesque quod non possent stare sub regimine Prioris, a) communi deliberatione habita, quia abbas maioris auctoritatis & dignitatis est quam Prior, elegerunt Beringerum virum multæ sanctitatis in abbatem: qui eandem morum gravitatem, quam prius habebat, servavit; frequenter enim sedebat cum fratribus in claustro ad lectionem. Acta sunt autem hæc temporibus Agapiti Papæ, sancto Udalrico episcopo presidente ecclesiæ Augustensi, sancto vero Conrado episcopo presidente ecclesiæ Constantiensi, qui etiam eundem Beringerum in abbatem benedixit & confirmavit.*

Apud Goldast,
T. I. p. 49.

T. III. script.
Germ. p. 714.

Sedit Agapitus II. P. ab anno 946. usque ad annum 955. Familiaris vero admodum erat S. Udalricus Augustanus (in S. Galli monasterio educatus, ac anno 923. factus episcopus) S. Conrado Constantiensi ecclesiæ an. 934. præfecto, qui simul cum cura vastati per Hungaros Rhenaugien- sis monasterii verosimilius etiam Cellæ Albæ curam gessit, ipse sæpius, teste Ekkehardo Rhenaugien- si monasterio præfens, & quidem simul cum S. Udalrico, ut eruitur ex vita S. Conradi ab Udalrico Constantiensi pariter episcopo scripta, & Callisto Papæ pro eius canonizatione oblata, quam exhibet Manlius in chronico Constantiensi apud Pistorium. Ut adeo ab anonymo haud frustra Sanctus quoque Udalricus memoretur, cuius simul consilio facta sit Beringeri in primum abbatem San-Blasianum electio, S. Conrado eundem confirmante & benedicente, cum bona quidem Rhenaugien- sium venia.

Agnoscent idipsum dicti sodales, primumque hunc abbatem ex suis fuisse assumptum opinantur, quum ipsi Beringerum tunc temporis inter monachos suos numerent. Quæ quidem coniectura inde firmatur, quod Priorem prius apud Cellam Albam egerit Beringerus, quo tempore Cellal- bani eundem cum Rhenaugia tunc reveriti sunt abbatem S. Con- rado, cuius auxilio & cura restituta utriusque monasterii res est, & in- stituta eorum ab invicem separatio. Ipse autem anonymus testatur, quod tempore Ottonis M. quum obiisset pater & Prior huius loci, fra- tres communi consilio & deliberatione elegerint sibi unum ex ipsis,

no-

a) Cur iam restauratis rebus non potuerunt fratres stare sub regimine Prioris, uti tamen vel ex ipsius anonymi testimonio saltem a seculo iam nono potuerunt Albani nostri, causa haud alia esse videtur, quam quod prioribus temporibus Prior iste ab obedientia abbatis Rhenaugi- ensis dependeret. At mutata rerum facie & facta utriusque monasterii separatione, difficilius om- nino erat stare sub regimine Prioris, iam ab abbatis cuiusdam potestate exempti & quasi in- dependentis. Implicite adeo priorem hanc utriusque monasterii unionem indicat anonymus noster, etsi huius nullam in suo constructionis libro mentionem faciat.